

Σὺν τῷ Θεῷ!

1651

5

3

4

32

DISPUTATIO PHYSICA

De

PRINCIPIS

CHYMICIS,

Quam,

In Inclytâ Academiâ Leucoreâ

SUB PRÆSIDIO

VIRI

Præ-eximij & Clarissimi,

DN. M. SAMUELIS POMARII,

Collegij Philosophici Adjuncti meritissimi,

Præceptoris & Fautoris sui plurimum


colendi,

publicæ disquisitioni exhibet

MARTINUS FRIDERICUS Friesß/Lipsiensis,

Ad diem 20. Septembris.

In Auditorio minori, horis antemeridianis.



WITTEBERGÆ

Excudebat MICHAEL Wendt/

ANNO clō lōc LI.



DISSERTATIO PHYSICA

PRINCIPIS

CHYMICI

IN UNIVERSITATE HALLENSI

ANNO 1710

SCRIPTA

AVGVSTO CHRISTIANO

DR. M. SAMMELIS TOMARI

COLLEGIJ PHILOSOPHICI ADJUNCTI MENTISII

PROFESSORIS & RECTORIS HUIUS UNIVERSITATIS

MARTINUS FRIEDRICHUS

IN HALLA

IN UNIVERSITATE HALLENSI

—————


WITTEBERG

Excudit M. J. J. J.

Anno 1710



Q. F. F. S.



Obilissima & utilissima doctrina Principiorum Chymicorum est, sed vix tacta habetenus Physicorum libellis, & ita communem cum illis rebus fatum experta, quas, quia non tradidit Aristoteles, nec tradere voluerunt Aristotelici. At verò non inventa solum, sed querenda etiam nobis reliquerunt Majores nostri. Ideoq; nec in verba illorum jurandum putamus, nec eos, quamvis ratio & experientia aliud suadeat, defendendos. In divinis quidem auctoritatem nudè sequimur, & credimus ut sciamus. Valet enim ibi absolutè illud: ἀπὸς ἐφ' ἅς. Secus verò hic se res habet. Non Domini nostri fuerunt qui nos antecesserunt, sed tantum duces: cur illis igitur ex necessitate semper parendum? Psittacus aliorum voces accipit, redditq;, corvus & graculus id solum crocitat ac garrit, quod didicit, nec de suo quicquam ingenio meditatur ac loquitur. Nos homines sumus, aequè ingenio, aequè judicio pollentes ac isti. Licitum igitur & nobis erit aliquid perscrutari, novumq; manifestare, veteres quod latuit. Quis adhuc fortè viverent, scripta sua emendarent ipsi, rationes & judicium aliorum ponderantes. Unus enim oculus non videt omnia. Elegantissimè Excellentissimus Dn. Sperlingius Præceptor meus venerandus in Anthropologiâ suâ Lib. 2. part. 1. c. 6. q. 3. p. 446. Non numeris omnibus absolutum sapientiæ opus nobis tradidère antiqui. Veneramur istos sapientiæ inventores, & non vivis modò, sed mortuis etiam Præceptoribus gratias habemus. Ampliora tamen facere, quæ accepimus, allaborandum censemus. Aliud illorum ætas, aliud nostra, alia quæ post nos subibit, adspiciet. Distribuit

A 2

Natu.

Natura munera sua, & non ætati uni dat omnia. At felicior semper posteriorum conditio est, qui & inventis rectè uti, & addere quid, ut hæredes industrij, si velint, possint. Omnibus itaq; nunc patet veritas nondum occupata. Nova quadam si hodieq; adhuc invenire possumus, nemini prohibitum. Non enim nova omnia statim sunt falsa, sicut nec omnia antiqua cum veritate recipiuntur. Et tandem, licet novissima, inveterascent hæc quoq; aliquando: sicut omnia que nunc vetustissima creduntur, suo tempore nova fuerunt. Nos nihil morati scopulos ac syrtes, que nobis circa novitatem dogmatis hujus objici possunt, expanso velo alto huic disputatorio nos concedimus, divino sibi vento, & nostro usi remigio. *DEUS* cepta feliciter!

CAPUT I.

De Existentiâ Principiorum Chymicorum, An sint?

§. I. **D**ari in naturâ rerum aliqua principia, principijs elementaribus contradistincta & peculiaria, duobus cum primis argumentorum generibus evincimus, quorum unum sumimus ab Affectionibus eorundem, alterum à Resolutionibus corporum naturalium. Quoad primùm sic argumentamur:

Ubicunq; dantur peculiæres qualitates, & ab Elementaribus distinctæ, ibi etiam dantur peculiaria principia,

Atqui in mistis dantur peculiæres qualitates, & ab Elementaribus distinctæ,

E. in mistis dantur etiam peculiaria principia.

Major probatur, quia omnis Affectio præsupponit certum aliquod Principium. v. g. in Parte generali Physicæ Quantitas præsupponit Materiam, Qualitas Formam, Locus & Tempus Materiam, Motus & Quies formam. Ita in Parte speciali proprietates Elementares de proprio suo testantur Subjecto: levitas & caliditas
de Igne,

de Igne, gravitas & siccitas de Terrâ, frigiditas de Aquâ, subtilitas de Aère. Minor constat, quia in omnibus corporibus mistis dantur colores, dantur sapes, dantur odores, Hæ ergò peculiare Affectiones & qualitates etiam peculiare requirunt essentias. Est n. Essentia, juxta Metaphysicorum descriptionem, principium primû & radicale omnium affectionum & effectuum alicujus rei. Ubi ergò alia Essentia, ibi etiam aliæ affectiones, aliæ operationes; cum Forma det esse rei, distingui & operari. Et vicissim ubi aliæ affectiones & operationes, ibi etiam alia essentia. Nam hæc sunt tria momenta ista Naturæ, quæ vocantur; ubi mutua semper argumentatio valet ab uno ad alterum. Stabit ergò fixa & immota conclusio, peculiaria quædam principia dari, præter Elementaria. Luber huc apponere verba Experient. D. Sennerti, qui ita pro Existentiâ illorum argumentatur. De Cons. & Dis. Cap. II. *Ubi cunq; pluribus eadem Affectiones & qualitates insunt, per commune quoddam principium insint necesse est: sicut omnia sunt gravia propter terram, calida propter ignem. At colores odores sapes, esse Φλογισόν, & similia alia mineralibus, metallis, gemmis, lapidibus, plantis, animalibus, insunt. Ergò per commune aliquod principium & subjectum insunt. At tale principium non sunt Elementaria. Nullam enim habent ad tales qualitates producendas potentiam. Ergò alia principia, unde fluant, inquirenda sunt.*

§. 2. Frustra itaq; Aristotelis Interpretes se macerant ac lacerant, dum magno conamine & labore omnes odores, colores & sapes ex Elementis deducere conantur. Colorem enim describunt, quod sit qualitas corporis misti ex perspicui cum opaco commistione orta, & sic commistus ex terrâ & igne aut aère. At frustra, nunquam n. commistio talis colorem pariet, nullum hîc reperire licet exemplum, nullum experimentum. Felices pictores essent, si tam facile colores sibi parare possent. Rectius a sulphur ferri, cupri & aliorum metallorum & mineralium semper alium atq; alium colorem exhibet. Saporem fieri asserunt per calorem è sicco terrestri in humido aqueo. Hoc verò nimium veritati adversari & experientiam contrâ testari nemo est qui non perspiciat: tot n. res siccissimæ, Piper, Zingiber, aliaq; aromatu

gènera siccissima, omnia humida longissimè sapore suo superant. Odorem esse somniant qualitatem corporis mixti ex sicco sapido contemperato cum humido ortam & à calore eductam. Sed fallunt & falluntur, multæ enim res humidissimæ odoratissimæ sunt. Aqua certè, ut & urina putrida, nihil siccitatis secum ferunt, & tamen odoratissimæ sunt. Tandem de inflammabilitate censent, oriri eam rebusq; convenire propter siccitatem & raritatem. At verba sunt, res aliter se multò habet, flammam enim concipiunt olea, vina & plurima humidissima: contra verò flix & pyrites siccitatis sat habent, nec tamen comburi possunt. Tutissimum igitur est non tam hominum venerari deliria, quam Naturæ ipsius scrutari dicteria.

§. 3. Cùm igitur hinc constet ex Elementis tales non posse deduci qualitates, omnibus concedendum est, dari peculiare quasdam Substantias, è quibus odorem, saporem & similia causa proxima reddi possint. Nec talia principia Antiqui planè ignorarunt: admitterunt quippe quædam principia propiora è quibus res naturales constituuntur, alantur & vario modo afficiuntur. Licet enim non expressè pro principiis ea venditant, taliq; nomine insigniant: quia tamen tales ipsis assignant qualitates, quæ neutiquam Elementis tribui possunt, alia præsupposuerunt corpora, quibus ea ut proprio subjecto inessent. Accidentis enim esse, ut Regula est Logicorum, est inesse. Sufficiet si ex multis unius Hippocratis omnium Physicorum & Medicorum facile principis verba proferam. Ita enim scribit, lib. de Veter. Medicinâ pag. m. 360. *Ἐνὶ ἀνθρώπῳ καὶ πικρὸν, καὶ ἀλμυρὸν, καὶ γλυκὺ, καὶ ὀξύ, καὶ στυφνόν, καὶ πλαδαρὸν, καὶ ἄλλα μύερα παντοίας δυνάμειας ἔχοντα πλῆθος καὶ ἰσχύ.* H. e. *In homine inest & amarum & salsum, & dulce & acidum & acerbum & inspidum, aliâq; sexcenta, quæ præcopiâ & viribus varias habent facultates.* Et paulo post: *Τὸ δὲ τῶν βρωμάτων ὅσα ἡμῖν ἀνεπιτηδεύει. Ἰσὶ καὶ λημάνεται τὸν ἀνθρώπον ἐμπεσόντα, τυχέων ἕκαστον ἢ πικρὸν, καὶ ἀκρητὸν ἴσιν, ἢ ἀλμυρὸν, ἢ ὀξύ, ἢ ἀλλόπ, ἀκρητὸν δὲ καὶ ἰσχυρὸν, καὶ ἄλλ' ἅπαντα ταρασόμεθα ὑπ' αὐτῶν.* h. e. *Quin etiam in cibis qui minimè nobis conveniunt, quicquid in corpus ingesti homini sunt noxij, eo-*

rum

rum quilibet aut amarus est, aut minimè temperatus & vehemens; id-
eòq; perturbationem in corpore efficiunt. Et postea scribit, pag. 364.
ἔτι τὸ θερμὸν ἔστι τὴν μεγάλην δύναμιν ἔχον, ἀλλὰ τὸ στυ-
φίον καὶ πλάδαρον, καὶ τὰλλα ὅσα μοι εἰρηται, καὶ ἐν τῷ ἀνθρώπῳ,
καὶ ἔξω τῷ ἀνθρώπῳ, καὶ ἐπίσιμα, καὶ πινόμενα, καὶ ἔξωθεν
ἐπιχρῆσμένα τε καὶ πῶς πλάσσομενα. Non calidum est quod ma-
gnam vim habet; verum acerbum & inspidum, ceteraq; de quibus dixi,
cum in homine, tum extra hominem in ijs quæ eduntur aut bibuntur vel
foris illinuntur, vel quacunq; forma corpori admoventur. Etsi verò in
his locis Hippocratis non Salis, Sulphuris & Mercurij expressa sit
denominatio: acerbum tamen, amarum, salsum, quæ Chymicis Sa-
lis species, nominatur. Et cum Hippocrates propter cibos ama-
ros, acidos & inspidos aliosve homines in morbos incidere asserit,
Chymici verò per salem ejusq; qualitates hoc fieri ajunt, bene sibi
invicem constant.

§. 4. Alteram rationem pro existentiâ principiorum horum
desumimus ex Resolutione Corporum Naturalium. Utimur Ar-
gumento quo Aristot. 3. de Cæl. cap. 3. text. 35. & Galenus lib. I. c. 3. de
Elem. ex modernis verò D. Sennerr. de Con. & Dis. c. II. ut & Excel-
lent. Dn. Sperling. In Instit. Physic. l. 5. c. 4. utuntur:

In quod corpora naturalia resolvuntur, ex eo constant.

Atqui corpora Naturalia resolvuntur in ista tria principia,

Ergò ex ijs constant.

Major nititur Canone: In quæ quid resolvitur ex ijs constat. V. g.
Cum domus destruitur, omnesq; partes à se invicem separantur,
tunc remanent ligna, lapides & alia ex quibus antea fuit constru-
cta, sic se res habet in corporibus mistis. Illa enim non prorsus
annihilantur, sed tandem, non tantùm in Elementa, sed & princi-
pia Chymica resolvuntur. Id quod probatur, tum ex resolutionib;
artificialibus & Chymicis, cum plantæ, mineralia aliaq; resolvun-
tur, semper & ubiq; aliquid Salis inde elicitur, odoresq; de se spar-
gant varios, qui nil nisi sulphuris indicium. Elegantissima sunt
verba quæ de hac re habet Beguinus Tyrocin. Chymico l. 1. c. 2.
pag. m. 41. *Exordiamur à lignis viridibus, quæ si cremes: egredietur
primò aquosam quiddam, quod ignis flamma concipiendâ planè inido-*

neunt

neum est, & in fumum conversum si colligatur, in aquam resolvitur (atq; hâc ratione è flammâ potum petere haut impossibile) daturq; Mercurius: deinde exhibit oleaginosum quiddam facillè inflammabile, quod in vapores resolutum, si cobibetur, in oleum abit, vocaturq; Sulphur, tandem remanet siccum & terrestre, quod ex cineribus, aqua beneficio extrahitur, inq; humido & frigore solvitur; calore autem concrevit, Salisq; nomen obtinet. Ita Lac substantiam continet Sulphuream, butyrosam, deinde Mercurialem, serosam; & tandem Salinam, caseosam. Tùm verò cum primis idem constat ex resolutionibus naturalibus. Animalia enim mortua terræ mandata resolvuntur in Sulphur, quod patet ex odore. Vapor enim exhalans foetorem ingentem habet adjunctum, qui à nullo Elemento provenit, quippe quæ omni odore carent, ergò à Sulphure: nec minus in Salem, quod non longioris probationis indiget. Nectantùm in animalib9 sed & omnib9, fimo, fumo, lixivio alijsq; idem videre licet. Gravissimè Experient. Sennert. de Con. & Dis. p. 159. *Quæso quisquis es, cadaveri putrescenti nares propius admove, & vel fætor ille te docebit non purum ignem & aërem esse, quod exhalat, sed compositum adhuc, aliumq; odorem cadaver equi, alium bovis, alium hominis cadaver, aliam plantam hanc vel illam putrescentem exhalare. Ut enim res integræ aliæ alium habent odorem, alium rosa, alium ruta, alium absinthium quorum tamen quodlibet de exhalatione sulphureâ testatur; ita etiam in putredine (ut & in combustionibus) aliæ alium exspirant eâdem de causâ, & ob eandem sulphuream exhalationem.*

§. 5. Multa hîc multi obijciunt, & quidem Majorem hanc, Res quasvis in ea resolvi è quibus consistit, non ita simpliciter admittendam esse censent, quippe cùm multi in talia resolvantur ex quibus neutiquam erant conflata. V. g. Corpus humanum, terræ mandatum, resolvitur in serpentes interdum, vermes, aliâq; insecta, ex quibus tamen nunquam antea homo conflatus fuerat: ita & caseus in vermes, & alia in alia transmutantur & resolvuntur. Sed respondemus distinguendum esse inter resolutionem ultimâ, & inter mutationes quasdam intermedias. Nos cùm dicimus in quæ quid resolvitur ex illis constat, ultimam corporum resolutionem intelligimus, non mutationes quascunq;. Nec illud obstat, quod

quod aliquis dicat, in illa quid resolvitur ex quo constat, at animal constat ex semine, ergo etiam resolvitur iterum in semen. Respondemus enim ad Majorem distingendum esse inter materiam generationis & constitutionis, de hac valere, non de illa. Minorem vero simpliciter negant, & res ex resolutione illa, ex Elementis solis constare probant. Cum cadaver inquit aliquod putrescit, ignis & aer in auras evaporat, humidum diffluit, fimus loco terræ relinquitur. Sed sensu ipso convincuntur, nec pura Elementa ulli demonstrare nobis possunt. Quod si quis ergo porro de istorum principiorum existentiam dubitare animum induxerit, illum merito his Casparis Asellij venarum lactearum inventoris verbis alloquimur: VENI, VIDE.

§.6. Ac sic dari Chymica principia demonstratum est: id saltem controverti adhuc posset, num eorum consideratio pertineat ad Physicam? Ad quod respondemus affirmando. Chymia quidem ipsa, quatenus est Ars, non est hujus considerationis. Ars enim non potest esse Scientiæ pars. Scientia enim tantum est habitus Intellectualis Speculativus, Ars vero Practicus. Principia tamen Chymica quia non secus corpora naturalia, ac Elementa, Mineralia & aliæ species, sub hujus Objecto comprehenduntur, & in Physicæ considerationem merito veniunt. Considerationes n. Chymicæ Physico non insuper habendæ, cum multa arcana in naturâ patefaciant, & utilissimas observationes suggerant. Hinc B. Martini l. 5. Pæd. c. 7. Physicæ studiosis consilium hoc præbet: *Addantur quoque (ad Physicam) contemplationes Chymicæ, sine his enim nemo rerum naturalium solidam eruditionem sive cognitionem sibi acquiret. Multa enim sunt in Naturâ, quæ per σύγκρισιν & ἀπόκρισιν Chymicam longè accuratius inquiruntur, demonstrantur, & evolvuntur.* Et B. Sennertus de Cons. & Dis. p. 16. hæc habet: *Vix aliquem ad penitiorum rerum naturalium cognitionem pervenire posse, confidenter dicere auserim, qui in Chymicis operationibus, quibus res naturales artificiosè resolvuntur, & quarum beneficio mirando rerum consensus & dissensus, ac omnino plurimi effectus aliàs occulti deprehenduntur, exercitatus non est: imprimis vero eos, qui de mineralibus & metallis sine Chymica cognitione scribere aliquid tentant, sæpissimè & turpiter impingere*

B

pingere

pingere necesse est. Et quia antiquorum Physica hæc parte destituta fuit, hodiè suppleri debet. Aristoteles & alij magni Viri etiam errarunt, non igitur illicò quod affirmant, nobis quoq; affirmandum, de quo tacent, de eo nobis quoq; tacendum, & quod negant, id & nobis negandum est. Multa enim adhuc invenienda, multaq; perscrutanda restant. Nullius ergò jurandum in verba Magistri, & Veritas omni auctoritati præferenda.

CAPUT II.

De Essentiâ Principiorum Chymicorum, Quid sint?

§. 1. Scrupulo isto remoto, num dentur principia Chymica, & num ad doctrinam Physicam pertineant, conferamus nos jam ad essentiam ipsorum investigandam, quam melius haurire nisi ex definitione eorundem haut possumus. Essentiam enim cujusq; rei repræsentat definitio. Nam rectè Aristot. lib. 1. Top. c. 5. §. 2. *ὁρισμός ἐστι λόγος ὁ τὸ πᾶν ἢ εἶναι σημαίνων,* Definitio est oratio quæ essentiam seu quidditatem rei declarat. Definitionem autem illam retineamus, quâ Excellent. noster Dn. Sperlingius in suis Physicis usus est, hoc tenore: *Principia Chymica sunt corpora Naturalia mista, in primâ mundi creatione, cum alijs rerum naturalium speciebus à DEO condita, ut istarum essent materia, peculiariumq; & affectuum, & effectuum causa.*

§. 2. Definitum sunt Principia Chymica, qui terminus complexus est, non tamen re, seu significatione, sed tantùm voce seu denominatione: ut, cum dico, Anima rationalis, Salvator Mundi, Vita æterna & alia talia. Dicuntur *Principia*. Puta non Generalissima illa, qualia Materia & Forma, non Generalia, qualia quatuor Elementa, non Specialissima, quorum tot sunt, quot species mundi, sed Specialia, è quibus divisibilitatis, temporum, locorum, omniumq; dimensionum, figurarum, saporum, colorum, odorum, qualitatuumq; omnium & conspirationum & repugnantiarum ratio, & principium explicari possit: verba sunt Sennerti, lib. de
Con.

Con. & Diss. c. 11. p. 127. Et hoc sensu comparativo principiata potius, quam principia sunt.

§. 3. Dicuntur Chymica, ἀπὸ τῆς χυμίας, quæ vel ἀπὸ τῆς χύειν, χέειν vel χέειναι denominatur, quod liquare, liquefacere, fundere significat, quod scilicet Metalla dura aliâq; fundere & liquare hujus artis periti doceant. Aut ἀπὸ τῆς χυμῆς, quod verè idem est ac χύλα, succus, humor: quod succos & sapores ex omnibus rebus extrahant qui huic studio operam navant. Alij Χημίαν nominant quasi artem Ægyptiam, Ægyptus enim ut Plutarchus refert à Sacerdotibus Sacrà linguâ Chemia appellata est, aut ut Herodotus habet, in Ægypto oppidum quoddam vetustum esse Chemis appellatum, hinc Chemicam, quasi artem Ægyptiam, quia in Ægypto primò inventa, aut potius excultra. Alij à quodam hujus artis inventore, Alchymo dicto, dictam esse volunt.

§. 4. Hæc nunc à derivatione inventores aut potius manifestatores principiorum Chymicorum dicti sunt Chymici. Quorum qui primus fuerit, varia variarum sunt sententiarum divortia. Nonnulli hujus artis doctrinam Protoplasto nostro Adamo tribuere volunt. Cùm enim iste in alijs artibus posteros suos informaverit, probabile esse, illum etiam hanc artem ut ex mistis talia principia elicerent, non omisisse. At conjecturæ sunt, de quibus nihil historiæ sacræ. Alij ad Tubalcainum referunt, cùm enim iste ut Gen. 4. v. 22 perhibetur; Magister æris & ferri fuerit, illudq; cudere & fundere monstravit, necessũ fuisse censent, ut prius didicerit aut alios docuerit, quâ ratione investigari, coqui, fundi, segregari & purificari possit. Et si iste ferro & ære laborare novit, proculdubio & reliqua metalla ipsi haut incognita esse potuerunt. Ita Sennertus de eo censet. l. d. p. 19. *Et omninò non vulgarem sed insignem in metallurgia artificem fuisse ex eo patet, quod Sacra litera ejus honestam, & quidem primo loco in hoc genere mentionem faciunt. Itaq; Metallurgi primum Chymia inveniendæ occasionem præbuerunt.* Non igitur dubium posteros Tubalcaini hanc artem egregiè coluisse & amplificasse. Verùm cùm postea per diluvium omnia perierint, nihil ad nostras ex istorum scriptis manus pervenit, nec quicquam historiarum monumenta tradunt. Post diluvium verò hanc ar-

Chymol.

tem renovatam pleriq; putant ab Hermete Trismegisto, qui ut vult Franciscus Patricius in Hermete, circa annum à condito mundo 2000. vixit, Noachumque audivit. Hunc Hermetem Trismegistum cum multa de Philosophia & Medicina scripserit, Chymiam etiam tradidisse facile concedimus, quid tamen in ea præstiterit ex historijs non patet. Extat quidem Tabula Smaragdina ut nominant, quã ut parcamus chartæ huc apponere non libet, quæ tamen num ejus sit, sub judice lis adhuc est. Hermeti proximus fuit Moses; qui cum in omni Ægyptiorum doctrina peritus fuerit, hanc quoq; haut ignorasse alij statuunt. Præsertim cum vitulum aureum ab Arone conflatum igne combusserit, & in pulverem redegerit ac in aquam projecerit, quod sine Chymico artificio factum haut fuit, cum aurum per se nullo modo comburi & in pulverem redigi possit. At si magni Sennerti iudicio standum, res proculdubio miraculosa fuit, nec Mosem Chymicum fuisse hinc probari potest. Salomonem postea coluisse Chymiam haut absurdum, quippe qui omnium mortalium sapientissimus. At tamen nec hoc evidenti documento probari potest. Post Christum natum in Ægypto Chymia ita floruit, ut publica etiam fama statueretur opes publicas, quibus se adversus hostium impetum defenderunt Ægyptios, arte Chymia sibi comparare. Postea inter Arabes maxime floruit, ex quibus de hac scripserunt Geber, Avicennas, Rhases, Arnoldus de Villa nova, & alij, de quibus vid. Excell. Sennertum de Con. & Dis. p. 26. Proximis seculis ferè inter Monachos latuit. Tandem natus Anno 1493. in Helvetia Philippus Theophrastus Paracelsus, quem deinde secuti Alexander Suchtenius, Dornæus, Phœdro, Thurnheiserus & alij. Pleriq; tamen P. Severinum ex hodiernis, qui dogmata à Paracelsi hinc inde disjecta in artis formam redegit, sequuntur, hinc secta Severina dicta nata est. Ab his igitur diligentissimis Naturæ scrutatoribus Chymia ad nos pervenit, & cum Chymia hæc ipsa quoque præter elementa peculiaria principia, quæ ipsi ex corporibus mistis solertissimo artificio extrahere nõrunt.

§. 5. Sed paulò longius à nostro scopo abducimur. Revertamur ad Definitionem nostrorum principiorum. Hæc verò non est

est nominalis sed realis; ea q; causalis. Constat genere & differentia. Generis locum obtinent *Corpora Naturalia mista*. Corpora sunt, quia habent suam materiam & formam. *Naturalia* verò, quia habent suas affectiones, actiones, & passiones. *Mista* autem dicuntur ad differentiam eorum quæ magis sunt simplicia, ut Cælum, Stellæ, & Elementa: neq; tamen tanto perè mista sunt, ut Mineralia, Plantæ, Bruta, Homo, ideoq; à B. Sennerto prima mista vocantur, cum ait: *Re hinc inde diligenter pensitata de principijs Chymicis sentio. Esse illa non corpora quedam ante Elementa simplicia, ut modò dictum, sed vel prima mista, vel peculiare naturas in primâ creatione: cum alijs rerum naturalium speciebus conditas, seu principia sui generis, quæ cum inter se, tum etiam cum Elementis, vario modo mista, alijs rebus naturalibus, generationi & corruptioni obnoxijis metallis præ, Mineralibus, gemmis, Lapidibus, Plantis & animalibus, dant convenientem materiam.*

§. 6. Genus sequitur Differentia, quam reliqua nostræ Definitionis verba nobis exhibent. Hæc autem Definitio quia causalis, ideo & differentia à causis petita est: & quidem à causis Externis, efficiente nempe & fine. Efficiens causa est, quam nobis hæc exhibent verba: *In primâ mundi creatione cum alijs rerum naturalium speciebus à DEO condita.* Cum enim Creator optimus mundum creavit, non minus ea vegetabilibus & sensibilibus addidit, quàm elementa, ut per illa conserventur, integrentur, & in perpetuo vigore maneat. Finis his exprimitur verbis: *ut istarum (specierum) essent materia, peculiariumq; & affectionum & effectuum causa.* Pro diversâ enim horum dispositione modo hoc, modo aliud corpus producit, nunc coloratum, nunc odoratum, nunc aliâ quâdam affectione ab Elementari distinctâ præpollens.

§. 7. Hæ causæ Externæ sunt: Internæ sunt Materia & Forma. Cum verò omnium corporum naturalium materia potissimum Elementaris sit, non immeritò quaritur, num etiam hæc principia ex Elementis componantur, & ita originem suam ab Elementis habeant, num etiam qualitates suas ab Elementis variè

mistis acceperint. Respondemus breviter, facile posse concedi hæc principia suam materiam habere ex Elementis: formam tamen ex his habere negamus: nbi enim peculiare qualitates, ibi peculiare formæ. Quâ de re ita Exper. Sennert. l. d. pag. 168. *De Formâ horum principiorum questio est, unde illæ eam habeant, an nimirum illa sit unius Elementi Forma, an verò ex pluribus Elementorum formis composita.* Id quod utrumq; negamus; cum aliæ qualitates & Effectus in hisce principijs, quàm quæ sunt in Elementorum potestate appareant, & quæ ex Elementis deduci & derivari non possunt.

CAPUT III.

De Numero Principiorum Chymicorum, Quot sint?

§. I. An sint & Quid sint principia Chymica, vidimus hætenus: quæramur etiâ Quot sint? Hoc verò punctû quod attinet res nondum satis plana videtur. Democritus ac Epicurus principia fecerunt inane, infinitum, atomos, quarum concursu omnia corpora conflentur, Diodorus Græcus ex corporibus minimis & individis tanquam principijs res componi dicebat. Pythagoras lineas, figuras atq; numeros rerum omnium principia statuebat. Sed hæc nostrum scopum non feriunt, & veteres illi in specialibus magis, quàm in generalibus occupari dubio procul singularum specierum singularia principia voluerunt intellecta. Nos loquimur de peculiari genere principiorum in mistis, ab Elementis diverso, quorum Experientia nobis tria tradit, SAL, SULPHUR & MERCURIUM, quæ per resolutionem Chymicam vel sensibus ipsis innotescunt. Hoc de numero ita Sennert. l. c. p. 128. *Cû tres ordines sint corporum inferioris mundi globi, Animalium, Vegetabilium, Mineralium, in singulorû ordinum horum individuis ista tria principia reperiri, & dari, Sal animale, Sulphur animale, Mercurium animale; Sal vegetabile, Sulphur minerale, Mercurium minerale: rursusq; dari Sulphuris proprietates, conditiones, differentias plures in pinguedinibus & oleis*

leosis animalium partibus, in resinis, oleis, gummatibus, in genere etiam mineralium species Salium Sulphurum & Mercuriorum plurimas reperiri statuunt.

§. 2. Per Sal verò, Sulphur & Mercurium non intelliguntur vulgò ita dicta corpora, qualia promiscuè venduntur, & in quotidiano usu sunt, salem puta culinarem, sulphur vulgare, quo mediante ignem suscitamus, & Mercurium, qui Argentum vivum dicitur, cujus beneficio specula illinuntur & alia opera perficiuntur, ista enim non sunt rerum principia, sed sui generis composita: Sed à Sale & Sulphure vulgari Chymicus noster Sal & Sulphur denominationem suam saltem obtinent. Cùm enim hac principia in vegetabilium & animalium familiâ his mineralibus maximè ἀνάλογα sint, quippe in quibus præcipuè ut in reliquis multis differentiæ trium harum Substantiarum proprietates & conditiones perspicuæ & explicatæ animadvertuntur, ex istis procul dubio appellationes suas Chymici mutati sunt.

§. 3. Hæc in genere de numero ipsorum sufficiant: jam in specie singula expendamus. Sal definitur, quòd sit corpus naturale mistum saporis gignens, in humido liquefcens, in sicco concrefcens, ac mirabiles penetrandi, detergendi & putrefactionem prohibendi vires obtinens. Definitum est Sal, qui nomen ab esculento Sale, ut supra dictum, sortitus est. Genus est, Corpus naturale mistum: Corp9, quia materiam habet & formam. Naturale, nam etsi arte præparatur, non tamen putandum, ac si ars illum efficiat, sed tantùm elicit ex mistis. Mistum, quia nusquam sine Elementis occurrit. Differentia sumitur potissimum à qualitatibus. Nam 1. Sal est primum sapidum & gustabile; id quòd sensus approbat & comprobatur. Cibi enim insipidi, si tantùm exiguum quid salis aspergatur, sapidiores redduntur. 2. Sal in humido liquefcit & in sicco concrefcit. Id quòd rursus sensu probatur. Aqua n. solvit Salem, ignis verò coagulat. Quòd ex coctione nostri Salis culinaris manifestum. Aqua n. salsa, cùm ex fontibus salis, ubi propria substantia deprehenditur, coquitur, hoc modo Sal noster præparatur. 3. Sal mirabiles obtinet vires penetrandi, dissolvendi, detergendi, & putrefa-

refactionem prohibendi. Hinc caro quæ sale aspergitur, sale nempe spirituum egressum prohibente, per aliquot menses à putredine, quod ne per paucos dies alias fieri potest, conservatur. Tum in intima carnis penetrat, unde propter vim maximam penetrandi illi qui scabie laborant parcius uti debent sale, quia valde cutim nostram penetrat & vellicat. Detergendi verò vim habet, quia mulieres reddit foecundas, abstergit uliginem, matricemque plus satis udam exsiccat, ut semen cohæreat, ut Jonstonus habet.

§. 4. Putant quidem aliqui Sale analogiam quandam habere cum terrâ, imò & nihil aliud esse quàm terram contendunt. At frustra, nam, 1. Terra frigida est & sicca, sed sal calidus & sicco. 2. Sal facile in humido liquefit quod nunquam terræ contingere quilibet videt: quamvis enim aquæ immergatur, non liquefit tamen, sed fundum petit. 3. Sal saporem conciliat, terra insipida est. 4. Sal obtinet vires corpus à putredine conservandi, quod terra non facit.

§. 5. Sulphur est corpus naturale mistum, oleaginosum ac viscidum, odores gignens, inflammationes efficiens & mista corpora colorata reddens. Definitum est sulphur. Ac ut Sal à specie cui potissimum competit, ita & Sulphur nomen ab illâ ubi maximè sensibus se manifestat nomen trahit. Genus est Corpus naturale mistum, quod ex antea dictis liquet. Differentia iterum à qualitatibus illius desumitur, quia enim specificam differentiam habere non possumus, ipsius loco substituimus accidentia. Sunt verò hæc 1. Sulphur oleaginosum ac viscidum est, omnis enim pinguedo venit à sulphure, 2. Sulphur odores gignit, & omnia quæ pingua & oleaginosa odores secum ferunt, et si non semper in integris patet, tamen ubi accenduntur, & præcipuè cum in fumum mutantur, odor statim se manifestat, quod vel ex candelarum extinctarum foetore apertum. 3. Sulphur est primum *Φλογιστόν* sive inflammabile, unicum enim hoc facit, ut corpora inflammari possint. Aër cum inflammari putatur, fit ob sulphur in aère contentum. Notandum dignum exemplum est, quod Experimentissimus Sennertus habet l. c. *Memini hic in cloacâ seu anguillam seu aliud quid latitare, quod ca-*
mar-

marinam illam ita quandoq; commovebat, ut fœtor per totam domum molestus esset. Cum ergo candela accensa explorare vellent, quidnam id rei esset, subito tota cloaca flammam concipere visa est, quæ res etsi adstantes non parum consternaret, subito tamen iterum flamma evanuit: quod accidit proculdubio vaporibus illis sulphureis in cloaca agitata accensis. Duplici ergo modo hoc loco animadversum illud fuit, odore nempe, & inflammabilitate. Tandem etiam 4. Sulphur est primum coloratum, prout enim hoc variè mistum, varij & diversi proveniunt colores, de quibus infra pluribus.

§. 6. Maximè cum Sulphure convenit ex mineralibus sulphur commune, quod patet ex pronâ inflammatione, ut & ex nimio odore; tum etiam Naphtha seu petreolum, quod tantâ necessitudine sulphuri junctum est, ut propter inflammationem nil propius ad illud accedere videatur: flammam enim ex longinquo attrahit. Plinius de eâ sic l. 2. c. 108. *Huic magna cognatio ignium, transiliuntq; protinus in ea undecunq; visa. Ita ferunt Medeam pellicem crematam postquam sacrificatura ad aras accesserat coronâ igne raprâ.* Ex hoc quoq; perficitur ignis penè inextingvibilis, quem Græcicum vocant. Tandem etiam maximâ sulphuri cognatione conjuncta, sperma ceti dictum, seu pinguedo mari innatans, carbonis fossiles. Ex plantis resinæ & lacryma arborum pinguium, pinus, abietis, therebinthi, thuriferæ arboris & similibus; Pix quæ ex pinu elicatur, ex animalibus pinguedines. A nonnullis etiam igni & calci assimilatur; calci quidem tum propter inflammationem, ut & propter glutinandi facilitatem. Hæc de re ita Beguinus Tyroc. Chym. p. 39. c. 2. *Assimilatur igni, propter flammam, quam facile concipit: ut omnia resinosa & oleaginosa alia: eiq; hoc peculiare est, quod habeat vim leniendi, & extrema contraria conglutinandi.* Sicut enim nunquam tenacius lutum confeceris ex aquâ & arenâ, nisi calcem aut aliquid glutinosi commiscueris: ita nec Mercurius volatilis & Sal fixus coire in unam Substantiam tenaciter possunt, nisi vinculo & copula Sulphuris, quod utriusq; principij particeps, Salis fixitatem & Mercurij liquiditatem, suâ viscositate; Salis densitatem & Mercurij porositatem molli suâ fluiditate; Salis amaritudinem & Mercurij aciditatem dulcedine suâ contemperat.

C

§. 7. Re

§. 7. Restat adhuc Mercurius, de quo magna quidem sub
autoribus lis, num debeat principijs istis accenseri: cum non ita
clarè, ut Sal & Sulphur separationibus Chymicis demonstrari pos-
sit. Severinus cap. 8. Mercurium ideo reliquis principijs adden-
dum scribit, ut assiduâ irrigatione duo priora actionum frequen-
tiâ ad siccitatem & senium in horas festinantia foveret, & mistio-
ne fluidam substantiam redderet facilem. Elegantissima sunt
verba B. Sennerti l. c. p. 184. *An præter hæc duo Chymicorum principia
detur tertium, & quod sit illud, quod Chymici unanimi ferè consensu pro
tertio ponunt & Mercurij nomine exprimunt, malo dicere non liquet,
& meam seu ignorantiam seu dubitationem ingenuè confiteri, quàm pro
demonstrationibus & solidâ veritate ea venditare, quæ dubitationibus non
carere ipse scio.* Attamen quamvis purum hoc principium & separa-
tum nunquam ferè demonstrari possit, clariorque ejus doctrina
meritò desideretur, sufficiat tamen si dare tale quid in corporibus
aliquatenus tantùm ex qualitatibus probare possimus, & hoc pa-
cto qualitercunq; describere: *Mercurius est Corpus Naturale mi-
stum liquidum & spirituosum inconstantem corporibus mistis adferens.*
Describimus ut quimus, quia ut volumus non licet. Dicitur esse li-
quidum & spirituosum corpus, quod à Sulphure subtili, ac Sale
volatili, ut solus conspiciatur, vix ac ne vix quidem separari potest.
Interim verò, licet non in oculos clarè incurrat, ideò negandus
non est, cum nec ignis putus, nec aër purus oculis se manifestet.
Sufficiat ergò præter Salem, & Sulphur aliquid amplius in corpo-
ribus reperiri quod sit Spiritus ille oleaginosus & fugitivus: ita
enim entia non temerè multiplicabuntur.

§. 8. Conferunt nonnulli Mercurium cum Elemento aëris
& aquæ, cum illo quidem quatenus caloris vicinia alteratus facile
in auras abit: cum hoc, quatenus ut ea, difficulter proprio, facile
autem alieno termino continetur. Ita Nollus Phys. Herm. lib. 4.
c. 4. p. 188 *Respondet aëri, quod calori admotus nihil ferè esse deprehen-
datur, quàm aër seu vapor, qui statim in auras evanescat, Aquæ verò
comparari potest, quod sit fluidus nec proprio sed alieno termino, dum in
suâ naturâ est contineatur.* At hæc Analogia in duplici falsâ

§. 7.

§. 1. fundatur. Prima est, de aëre quod putant illum facile re-
 solvi propter vicinum calorem qui pervenit ab igne Elementari,
 qui continetur sub concavo Lunæ. Verùm, primò Elementa nec
 solvuntur nec alterantur, nec transmutantur. Secundò nullus
 calor propriè aëri inest, malè quoq; ignis sub Lunâ locum suum
 habere dicitur. Altera est, quod Analogiam cum aquâ habere
 asserunt propter inconstantiam. Aquam enim propter humi-
 ditatem difficulter contineri hætenus creditum est, & non aliter
 definita humiditas, quàm quod difficulter contineatur termino
 proprio. Sed minus accuratè, propriæ enim actiones humidita-
 tis sunt, humectare, emollire, fluida corpora reddere &c. Deinde
 & hoc non competit humido tantùm, res enim difficulter sunt ter-
 minabiles, non ob humiditatem, sed subtilitatem: Ignis sanè est
 siccissimus & tamen difficillimè continetur termino proprio, nec
 è terminis debemus iudicium facere de qualitatibus, cum sint po-
 tius determinationes quantitatis. Possit quidem aliquid tandem
 huic Analogiæ tribui, ita ut aquæ convenire dicatur ob liquidita-
 tem, Aëri verò ob spirituositatem.

CAPUT IV.

De Affectionibus Principiorum Chymicorum, Qualia sint?

§. 1. Sicut Elementa suas peculiare habent qualitates, quæ
 illis ut Subjectis inhaerent, per quas operationes suas expediunt,
 ita non minò principia Chymica suis peculiaribus gaudent affe-
 ctionibus. Impossibile enim est omnes ex Elementis deducere ut
 sæpius dictum. Debemus igitur nos accommodare Naturæ, non
 Naturam nobis. Intellectus siquidem noster non debet mensurare
 res, sed res intellectum. Dicunt quidem, licet Elementa non sint
 sapida aut colorata, tamen posse efficere colorem aut saporem,
 sicut Anima licet non sit quanta, tamen efficiat quantitatem. Sed re-
 spondetur, distinguendum esse inter effectum veram, & dispo-
 sitionem tantùm aliquam. Anima tanquam forma non
 producit quantitatem, sed disponit tantùm materiam ad
 quantitatem. Ita & Elementa non possunt producere qua-



litates tales, etiamsi exhibeant materiam in qua color & alia apparere possint. Non igitur ab Elementis, sed a principiis Chymicis hæ qualitates dependent, quæ his non possunt tribui, & quæ nullâ dignitate illis ne latum unguem quidem cedunt. Excellentif. Dn Sperlingi in Instit. Phys. p. 875. ita habet: *Næ in minori qualitates habentur æstimio, quam Elementares; nec enim numero nec virtute his cedunt. Non solum calidum & frigidum, sed acidum etiam, amarum, dulce, album, nigrum & plura alia attendenda*

§. 2. Definiuntur Qualitates istæ principiorum Chymicorum, quod sint accidentia, a formis istorum provenientia, & actionibus & passionibus inservientia. Ut Elementorum qualitates pro genere habent accidentia, ita & principiorum Chymicorum. Subjecta ergo accidentium horum dicta sunt principia: eaq; primaria & adæquata, quibus positæ ponuntur, sublatis tolluntur. Differentia sumitur a causâ efficiente proximâ & fine. Causa proxima efficiens est forma illorum; nam ut a materiâ quantitas sic a Forma qualitas. Finis est, ut variis actionibus & passionibus inserviant: ubi enim peculiare qualitates, ibi etiam peculiare actiones, peculiare passiones.

§. 3. Sunt autem hæ Qualitates, Sapor, Odor, Color & Inflammabilitas, quæ, quid sint, & unde proveniant, & quod cujusque subjectum, paucis nunc dispicimus.

§. 4. Sapor est qualitas corporis misti, orta a sale ad rerum differentias lingue representandas. Dividuntur Sapores in extremos & intermedios. Extremi sunt Dulcis & Amarus, Intermedii, Salus, Acer, Austerus, Acerbus, Acidus &c. Subjectum saporis Sal est: nullum enim in corporibus simplicibus saporem offendimus. Insipida est aqua, insipida Elementa reliqua. Sal ergo est primum sapidum, & quæ saporem habent, eum propter Sal habent. Ubi sapor, ibi Sal, & ubi sal, ibi sapor: nec ab Elementis, ut jam sæpe refutatum. Et quia Sal causa saporis, hinc fit ut sale condita esculentia, alias insipida, egregium nanciscantur saporem. Sapores extremi sunt magis puri ac simplices; intermedii ex his ut plurimum mistis constant. Diversitas verò hæc provenit ab aliâ atq; aliâ dispositione salis, prout enim hic variè dispositus, ita varietas quoq; saporum oritur.

§. 5. Alte-

§. 5. Altera est *Odor*, qui est *qualitas corporis mixti, orta à sulphure, ad rerum differentias naribus representandas.* Dividuntur Odores in extremos & intermedios. Extremi sunt Dulcis & Amarus seu Gratus & Ingratus. Intermedii sunt Stypticus, Acerbus, Gravis &c. Nec odor quoque ex Elementis derivari potest; ut enim Elementa nullo sapore, ita nec odore prædita sunt: sed Subjectum odoris est Sulphur, hinc & primum odorabile statuitur. Quod etiam ex nostro vulgari sulphure apparet, in illo enim accenso tantus odor est, ut etiam necare possit animal ob excellentiam suam. Communiter odores & sapes uni subjecto tribuunt, at experientia longè aliter nos docet. Nam dantur plurimæ res sapidissimæ & acerrimæ, quæ nil aut certè parum odoris habent, ut Arsenicum, Mercurius sublimatus, Alumen, Saccharum ac similia plura. Et contra dantur multa quæ excellentem de se spirant odorem, nihil aut minimum tamen saporis possident, ut in unguentis, floribus, & aliis videre licet. At verò si sapor & odor unum haberent subjectum, sequeretur, res largiter odoratas excellenter quoq; sapidas esse & contra. Provenit itaque odor à solo sulphure, quo separato perit odor. Ratio diversitatis odorum eadem est, quæ saporum: ut enim sulphur aliter atq; aliter in aliquo mixto est dispositum, ita quoq; odor gratus, vel ingratus, dulcis vel amarus inde proficiscitur.

§. 6. Tertia est *Color*, qui definitur quod sit *qualitas corporis naturalis mixti, orta à Sulphure, ad rerum differentias oculis representandas.* Dividuntur colores in Extremos & Intermedios. Extremi sunt Albedo & Nigredo, Intermedii Color Ruber, Flavus, Viridis, &c. Colore carent Elementa, ideò nec aliis dare, nec illum efficere possunt. Ac licet nonnulli Peripatetici ex Elementorum commistione colores deducere conantur: tamen nihil quod etiam speciem aliquam probabilitatis habet, afferunt, nec docent qualis Elementorum sit commistio ad colores producendos: sed ingenuè fateri necesse habent, neminem colorum singulorum causas proximas assignare posse. Liberum interim relinquunt Chymicis, ut suo sensu abundant, & colorum principium sulphur esse statuunt, cum meliora docere non possint. Sennert. l. c. p.

183: Tribuitur itaque color Sulphuri, ut in sulphure cupri, ferri ac mineralium accenso videre est, quorum quodque peculiarem in flamma colorem exhibet. Et ita mista quoque colorem habent a sulphure, gemmae coloratae sunt propter sulphur, licet exiguam tantum quantitatem in se contineant. Ita quoque rosae, violae, pomis ac pyris Sulphur inest, quo separato perit color. Diversitas colorum certe maxima est, pictores enim quem cupiunt ferè producere possunt, & haec varietas partim naturam partim arte fit. Naturam quidem, prout sulphur variat in mistis, in alio enim se nigro, in alio albo, in alio viridi se representat colore. Arte vero, prout pictores deinde colores variè miscent, misto enim albo & nigro producitur tertius, nempe caeruleus, & ita quoque in reliquis

S. 7. Verum nondum doctrina colorum satis explorata & plana videtur. Dubium enim oriri potest, unde colores nubium, Iridis, Rubedinis matutinae & vespertinae ortum suum trahant, & num quoque sulphur horum causa sit. At respondetur, colores isti revera ita non existunt, sed tantum esse videntur & apparent. Cum enim Sol in raram ac subtilem incidit nubem, apparet albedo, cum in densam ac crassam, nigredo, cum in aquosam & roridam, viridis color, & sic deinceps. Ideo tantum oculi obfuscantur, ut tales imagines mente concipiamus, cum tamen nil sint. Ita etiam in collis columbarum, gallinarum, crystallo, vitro trigono luci obverso, araneorum telis & similibus videre est: at hi colores non nisi ad radios corporis lucidi conspiciuntur, & tantum ita esse videntur. Majus autem illud dubium cur animalia ejusdem generis eundem non obtineant colorem? Nam in equis, vaccis, canibus & aliis ita color variat, ut ferè quot species tot etiam colores dentur. Haec ea Naturae libertas, ea varietas est. Nunc ad formam materiam disponentem, nunc ad sanguinem recurrendum. Equus niger ut plurimum etiam generat pullum nigrum, & si deinde equa alio colore praedita sit, diversicolor equus producitur, ita & in caeteris. Nec planè negligendum temperamentum. Equus niger est constitutionis Melancholicae, a sanguine quippe nigro oritur color niger, & quoque Melancholia. Alb. phlegmatici, nam a pituitoso sanguine talis color. Flavi choleric, flava enim bilis

bilis ejusmodi coloris causa. Et tandem qui spadicei coloris, sanguinei & optimæ constitutionis sunt. Deinde ut unum temperamentum alterum superat, & diversimodè in uno conveniunt, variè quoq; colores miscentur.

§ 8. *Inflammabilitas est qualitas corporis misti orta à sulphure, ad corporum combustionem data.* Elementa pura non inflammantur. Est quidem ignis causa efficiens flammæ, sulphur vero præbet materiam. Aër si inflammari videtur, non purus ignis est, sed vapores sulphurei ex terrâ extracti, & ibi accensi. Est igitur Sulphuris proprium esse *Φλογιστὴν*, quod certè non parum ad rerum conservationem facit.

§ 9. Et hætenus quidem actum de qualitatibus, quæ Sali & Sulphuri competunt; quæstio residua est, an non etiam Mercurius producat accidentia quædam & qualitates peculiare. Tribuunt illi quidam qualitates occultas. Unde in alimentis, in Venenis, in Alexipharmacis, in purgantibus, roborantibus, Narcoticis & aliis occultas vigere qualitates ope Mercurii existimant. At non omnes occultæ qualitates à Mercurio ortum trahunt, sicut sapor omnis à sale, odor omnis à sulphure. Potest quidem quorundam esse subjectum, non tamen omnium. Est enim qualitas occulta à suâ formâ, hæc ab hæc, illa ab aliâ. Qualitas occulta in ovibus lupum fugientibus, ut & in pullo gallinaceo accipitrem horrente non certè à Mercurio. Qualitas occulta Magnetis cum ferro à formâ ipsorum, non verò à Mercurio. Tribuunt etiam nonnulli illi saporem, cum primum acidum esse dicunt, ac illa aciditas à sale potius est. In spiritu vini plurimum Mercurii inesse probant Chymici, nulla tamen adest aciditas. Tribuunt etiam colores, verùm nec hoc probabile. B. SENNERTUS illum liquorem spirituosum esse existimat, qui à sulphure subtili ac sale volatili vix ac ne vix quidem separari possit, ut solus conspiciatur.

CAPUT V.

De Usu Principiorum Chymicorum, Quid profint?

Ica

Ita nunc nobilissimam hanc & jucundissimam de Principijs Chymicis materiam ad umbilicū deduximus, quæ tamen sua etiam utilitate destituta neutiquam est, quæ propterea nobis non negligenda. Quid n. conducit scire dari res, & quid sint, nisi usus illarum nobis quoq; constet. Quid prodest herbas & fructus nosse, si cui usui & bono sint ignoremus? Ita quoq; præprimis usus horum principiorum attendendus est, qui se longè latèq; diffundit. Nam ut nihil dicam de eo, quod Medicina sine Chymiâ exilem possideat majestatem, cum hæc unâ Dianæ lampade Medicus plus cernat, quàm vulgares Medici aperto sole, quod medicamenta Chymica sint efficacissima, grata & tuta, & per ea tutò, citò & jucundè curatio perficiatur, Medicamenta verò, quæ à naturâ integra offeruntur sapissimè partes diversarum virium habeant, ut interdum in librâ integrâ vix unica partis quam expetit Medicus contineatur, magna quoq; impuritas sæpè in integris admistat, quam ex herbis alijsque extrahunt Chymici. Usus eorum in Physicâ geminus cum primis est. Unus ut ex his principijs variè mistis, concurrentibus tamen quoq; Elementis, Metallorum, Plantarum & Animalium materiæ seu corpora formentur, & pro ratione variæ determinationis quæ à varijs formis specificis fit, variæ constituentur species. Alter ut ex his tanquam ex proximis & proprijs principijs, proprietates quæ corporibus mistis in sunt, nec ex Elementis demonstrari possunt, deducantur & demonstrantur, atq; horum beneficio peculiare operationes edantur. Et hinc patet Physicum non immittere falcē in alienam Medici messem, cum hæc principia considerat: diversum n. considerandi modum habent. Physicum quatenus corpora naturalia ex his constant, Medicus verò quatenus his ex mistis extractis corpus sanari possit.

Atq; hæc sunt quæ pro ratione instituti & ingenii modulo de nobilissima hæc atq; difficillimâ materiâ proponere animum induximus. In quâ facile à cordatis omnibus veniam commissorū aut omissorum pollicemur nobis, qui rei amplitudinem non tantum, sed & nostram in hæc ætate judicandi subactâ potestate destitutâ, tenuitatem pensū habuerint. Tibi verò Deus Optime, Maxime, qui es principium sine principio, & finis sine fine, sit Laus, Honor, Gloria, & Gratiarum actio in secula.

* †*†*†* † *

Wittenberg, Diss., 1650-51(1)


VJ 17


ULB Halle 3
002 673 339



56.







3

Σὺν τῷ Θεῷ!

1651 5 3 4 32

DISPUTATIO PHYSICA

De

PRINCIPIIIS
CHYMICIS,

Quam

In Inclytâ Academiâ Leucoreâ

SUB PRÆSIDIO

VIRI

Præ-eximij & Clarissimi,

DN. M. SAMUELIS POMARII,

Collegij Philosophici Adjuncti meritisimi,


*Præceptoris & Fautoris sui plurimum
colendi,*

publicæ disquisitioni exhibet

MARTINUS FRIDERICUS Friesß/Lipsiensis,

Ad diem 20. Septembris.

In Auditorio minori, horis antemeridianis.



WITTEBERGÆ

Excudebat MICHAEL Wendt/

ANNO clō lōc LI.

